

Dissertatio medica de menthae usu ... modernate ... / C. von Linné.

Contributors

Linné, Carl von, 1707-1778.
Laurin, Carl Gustaf, 1737-1773.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Joh. Edman, [1767]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m5r6f6m5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

23

D. D.

DISSERTATIO MEDICA
DE

MENTHÆ USU

QVAM,

CONS. NOB. ET EXPERIENT. FAC. MED,
AD REG. ACAD. VPS.

MODERANTE

VIRO GENEROSISSIMO.

D:NO Doct. CAROLO

VON LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO

MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD. ACAD.

SCIENT. UPSAL. HOLMIENS. PARIS. PETROPOL. BEROL. IMP.

NAT. CUR. LOND. ANGL. MONSP. TOLOS. FORENT.

EDINB. BERN. NIDROS. CELLENS. SOCIO.

PUBLICÆ SUBMITTIT CENSURÆ,

CAROLUS GUSTAV. LAURIN,

HOLMENSIS,

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE XXX JUNII, MDCCCLXVII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

APUD JOH. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGRAPH.

SÆ. RÆ M:TIS

MAGNÆ FIDEI VIRO,

ARCHIA TRO REGIO

ET

EQUITI AURATO

DE STELLA FOLARI

NOBILISSIMO ATQUE GENEROSISSIMO,

DOMINO

NICOLAO ROSÉN
VON ROSENSTEIN.

PATRONE ET PROMOTOR SUMME.

Ante hos octo annos Tuis exceptus ædibus in Tuis bæberi cœpi, Vir Generosissime.

Ab illo inde tempore a divino Tuo ore pendere licuit.

Ab illo inde tempore immerita non per dies sed horas & horulas numero.

Postulat hoc animum ad cineres venerabundum, gratissimum, quique verbis æquari nequit.

Majores illud in Arte Machaonia requirit progressiones, quam ut, quod exhibeo, exile specimen Tibi inscribere ausim. Medico igitur orbi universo, non Tibi hæc dicta sint.

Justus ille Tuorum meritorum Arbiter verborum facilis mibi inopiam dabit.

Facilior longe Tu, Audaciam illustre Tuum temerandi Nomen, dabis.

VENERABUNDI HUJUS TUI NOMINIS ET PATRONI SUI SUMMI

Cultori & Clienti
humillimo

C:o. G:o. LAURIN.

CLARISSIMO AUCTORI,
AMICO HONORATISSIMO.


Magnopere peccare mihi viderer, Amice Honoratissime, nisi quavis data occasione meam adversum Te interpretarer pietatem. Etenim multorum annorum curriculo Te tali usus sum eruditionis meæ architecto, ut ne molesta sed dulcissima mihi fuerint studiorum meorum initia. Adeo mollis & polita fuit Tua erudiendi me cura. Quæ tamen ita cum diligentia conjuncta fuit, ut diuturna tua facilitas & blanda consuetudo nihil de nostris progressibus detraxerit. Hujus Tuæ benevolentiae recordatio me Tibi ita obstrictum tenet, ut nunquam ære tuo me exire posse, certum sit. Quam obrem quum nihil aliud possim, nisi gratias tibi age-re habereque immortales, & quid debeam, gratissimo animo reponere, opto, ut res tuas feliciter agas & præmia consequaris, quæ innocentiae Tuæ & ceteris bonæ mentis virtutibus respondeant. De præclara & minime vulgari Tua eruditione, de qua viros judicantes audivi, præsens Tua Dissertatio testatur. Quam dum publico judicio committis, dicere nequeo, quantum inde sentiam voluptatis. Discipio enim quam primum te videre iis honoribus & privilegiis ornatum, quibus tamdiu omnium, licet ipse neges, judicio dignus audivisti, & quæ spero tibi allatura fore fortunam florentissimam.

NICOLAUS ROSENSTEIN.

D. D.
PROOEMIUM

Electuro mibi meis viribus aptam & speciminis Academici loco exhibendam differendi materiem, ita obvenere multa in Anatomicis, Physiologicis, Pathologicis & Therapeuticis, si vel Morbos respexeris speciales, vel Simplicia medicamina in Officinis reperiunda, erudita aliorum manu dudum tractata, ut spem ineundæ apud Lecturos Benevolos novitatis gratiæ facile deposuerim. In eorum vero oberrans campo, quæ non intacta olim, nec tamen ulteriores respuant curas & disquirendi laborem multiplici circumdatuſ affluentia, diu quidem, ut in undis Tantalus, bæsi cupidus & optioni impar. Arrisit vero tandem instituenda de MENTHA disquisitio, Medicorum animadversione & cura hoc dignior mibi visa, quod, ut canæ vetustati notissima, ita bodie, quam prouti oportet, parcius adhibita, usu non contempnendo ætatem & pretium tulerit.

Quum autem & tempori & rebus memet circumstantibus consulenti mibi fusori esse non liceat in opera, quæ oculis Botanicis, Pharmaceuticis & Therapeuticis rite perlustrata in molem facile ex cresceret, B. L. ægre ferre non lim, si per summa ſolum capita eundo, quæ juviffe crediderim, decerpfero.



§. I.

MENTHA nomen plantæ, est ab antiquissimis inde temporibus ita appellatæ & ob vim medendi eximiam usu notissimæ. Plinio & Mentha & Mintha audit. Nec displicuit hoc nomen Botanicis systematicis, si a spurio Rivini-anorum *Menthastris* hinc derivato genere discesseris. Ipsius vocis a Græcis ad Romanos derivatæ, natales inquirendi neminem morentur, quum nec juvet, nec in re incerta antiquissimorum vocabula extricare facile sit.

§. II.

Mentha ordinis naturalis est XLII. VERTICILLATÆ hæ plantæ appellantur *Morisono*, *Rajo*, *Hermanno*, *Bærbario*, ceteris; CÆSALPINO refertus inter *Herbas seminibus quaternis*; RIVINO inter *irregulares Monopetalas seminibus nudis quatuor*: TOURNEFORTIO inter *Labiatas* & LINNÆO inter *Didynamas Gymnospermas*. Dif fert autem a suis ejusdem ordinis sociis *Corolla subæquali* & *Filamentis distantibus rectis*, prout videre licet ex Nob. D. Præsidis *Gener. Plant.* N:o 713.

In *Speciebus plantarum* hujus generis XV species suis notis descriptæ habentur, sunt nempe

Mentha auricularia.

sylvestris.

Viridis.

rotundifolia.

hir-

hirsuta.
 aquatica.
 Piperita.
 sativa.
 gentilis.
 arvensis.
 exigua.
 canadensis.
 Pulegium.
 cervina.
 canariensis.

Præter *auriculariam*, quæ Indicæ orientalis est, *canadensem*, quæ Americæ, & *canariensem*, quæ Africæ debetur, harum pleræque Europam incolunt, & quod observatu non indignum erit, præcipue Britanniam, ita ut felicem hanc insulam, præ ceteris, sibi patriam destinavisse, *Mentha* videatur.

§. III.

In OFFICINIS pharmaceuticis adamantur præcipue *Mentha crispa*, *Piperita*, *sylvestris* & *Pulegium*, quibus addi posset *auricularia*.

Menthæ CRISPÆ usus in Pharmacopœis erat olim frequentissimus. Illam recentiori ævo ejecit locumque occupavit apud Anglos præsertim *PIPERITA*. SYLVESTRIS externe tantum fere & parcus adplicata est.

PULEGIUM (*) alias, ac a *Mentha* distinctæ vis, plerisque habita fuit, quum tamen & genere & virtutibus reliquis *Menthæ* Speciebus amice consentiat; & mirari convenit, qui factum, ut *Mentha CERVINA*, propinqua adeo cognatione *Pulegio* nexa, huic locum

(*) Ita dicta, quod arcendis pulicibus inserviat, si sacculo inclusa in lecto manserit, secunda quavis bebdomade cum recenti commutanda.

non præripuerit, quum tamen *Lobelius* olim huic *Cervinæ* honorem detulerit, & *Monspelienses* *Pharmacopolas* adpellet, quos hanc semper, utpote odore & sapore svaviorem, præ *Pulegio* adhibuisse affirmat.

Ceteris *Menthæ* speciebus **CANARIENSIS** quidem odora minus est & minori virtute nervina pollens, nemini tamen auctor sum, cum novis quibusdam *Botanices* cultoribus, vel in novum Genus vel in ordinem *Asperifoliarum* eam cogere; Quatuor enim stamina habet non quinque, & Folia opposita non alterna.

In Officinis, secundum receptam nostratibus *Pharmacopœnam* prostant

Menthæ Sylvestris herba

Pulegii herba

Crispæ herba, *Conservæ*

Syrpus, *Aqua*, *Spiritus*, *oleum* destillatum, *oleum coctum*

Hisce præcipuae adhibetur Herba pro Infuso, Fotu, Balneis, Cucupha; *oleum* destillatum pro Eleosaccharis; *oleum coctum* pro Unguentis; *Aqua* destilata pro vehiculo; *Spiritus* & *Tinctura* pro vehiculo Eleosacchari; *Syrpus* & *Conservæ* Pectori.

§. IV.

Plantarum **QUALITATES** in sensus, præcipue Gustum & Olfactum, incurrentes earundem in humanum corpus agendi rationem ut plurimum aperiunt. Placuit scilicet Creatori Optimo Maximo homini æque ac animantium brutorum reliquis hos binos constituere custodes, qua fieri possit, cura id asturos, ut ne quid noxii in corpus immitatur. Hi obvias quaslibet res dignoscunt & dijudicant, & horum ope in qualitates plantarum sollicite inquirit Medicus, earundemque vim & in corpus humanum agendi rationem sagaci conjectura, longo quidem cautoque dein usu & observationibus

bus stabilienda, consequitur; Nec immerito. Constat enim hominis corpus duplii parte, *materna* seu interna & nervea, & *paterna* seu externa & fibrosa. In illam agunt medicamina cuncta odore, in hanc saporem; prouti dudum eruditorum observationibus est evictum. Ad Mentham nostram jam si animum adverterimus, quid de ejus usu habendum sit, repertu haud difficile erit. **SAPORE** minus insignis est, utpote quem *amaricantem* habet, sed acutiorum paulo, & caloris in lingua excitantem; odore multum pollet, qui admodum volatilis & gravis, in sistema corporis nervosum, ut magnopere agat, necesse est, eidemque in re medica honorificum locum conciliavit. *Piperita* in eo praepollet *Crispæ*, lingvam & mordeat magis & incendat, sed paulo post frigidorem quendam & sibi proprium, si *Camphoram* & *Senegam* exceperis, sensum excitet. Et hinc quidem præcipue præ *Crispa* Anglis adamatur *Piperita*; nec id immerito, si secundum qualitatem sapidam spectetur. Quum vero in olio præcipua ejus vis sit, res ulterioris adhuc indaginis esse videtur.

§. V.

Varia saporis genera definitu equidem & distinguuntur valde difficultia sunt, difficiliora tamen odoris. Dispensi autem hi conservaverunt in *Gratos* qui & excitant & refocillant Encephalum & nervosum systema, & in *Ingratos*, quos repellentes vocamus, quosque aversatur Encephalus. Sunt tamen odores in plantis, æque ac sapores, ita saepe mixti, ut quisnam prævaleat, distinguuntur sane facile non sit. Dominatur equidem in *Mentha* odor fragrans, sed ita, ut adfusi quid habeat *bireosi* seu *felini*, Nepetam aliqua ratione referentis. Singularis vero est, quem *Felinum* dicimus odorem in radice *Valerianæ*, *Serpentariæ* & *Nepetæ* obvium, ut nil supra ita feles allectans. Proximus huic est *Hircinis* in

Geranio robertiano, Satyrio hircino, Pimpinella nostrate, Sabina, Ruta &c, sed tenuior, ut si horum tantilla portio spirantibus e. gr. *Melissæ* addita fuerit, *Menthæ* odorem sentias. Videntur hi omnes e diametro oppositi Ambrosiacis, & proinde vires habere plane contrarias.

§. VI.

Spirantia omnia esse RESOLVENTIA experientia testatur Chirurgorum, qui, ut primum, in corporis aliqua parte contusa, fibræ nervique læsi fuerint, & sanguis vi extra vasa diffusus cum suggillatione gravi, primam in solvendo operam ponunt. Olim per vasum Medicis erat hujus medicinæ vim resolventem sitam esse in separatione sanguinis coagulati; sed vero quum hæ plantæ, non succo & substantia sua valeant, sed halitu, postquam infusum eorum expressum tantummodo halitu infecerit linteum pro fomentatione adhibendum, luculenter patet, ipsum esse halitum fragantem, qui obstruentium humorum solutionem efficiat; luculentius autem in oculi suggillatione, quæ solius *Camphoræ* vel *Croci* ab alio quovis masticati halitu in oculum immisso sanatur. Agunt igitur fragrantia in modum Spiritus salis Ammoniaci, qui naso admotus syncope correptos nervos afficiendo excitat, ita ut solventia hæc fragrantia vim habeant excitatricem virium vitæ in nervis oppressis, qui facultati naturali agendi restituti, perpetua sua oscillatione restituunt & in ordinem turbata redigunt.

§. VII.

Gemina præcipue vi excellit *Mentha* resolvente & antaphrodisiaca. Resolventes & Nervinæ sunt omnes fere plantæ *verticillatæ*, saltim gravi & svavi odore præditæ & somnum abigunt, præsertim intra corpus ad-
hi-

hibitæ; Est eadem Somnum arcendi vetus de *Mentha* obseruatio; unde vulgo laudatur in morbis omnibus *Soporosis*, utpote *Apoplexia*, *Caro*, *Lethargo*, *Paralyssi* & *Syncope*. In inflammatione dolor adest; nam fibra tensa rupturæ proxima dolet, teste *Bærbavio*. Hinc in omni *inflammatorio* morbo & pro fotu corpori adpli-catur *Mentha*, & in medicatis potionibus propinatur ad excitandam nervorum vim, quæ inflammationem solvat & dolores tollat. In *Cephalalgia* & debilitate capitis nil frequentius adhibetur *Cucupha* e *Mentha*, *Melissa*, *Ocymo*, *Lavandula*, *Thymo* & quæ his proximæ sunt. In *Vomitu*, *Torminibns*, *Colica*, *Lochiis suppressis* (*) quotidie a turba Medicorum præscribitur *Mentha* & in fomentationibus externe adhibenda & interne, ut ipsa aqua *Menthæ* destillata vulgo *aqua Colica* appelletur. In *Dysenteria* ad fovendum abdomen, ut *Tormina* tollantur, felici successu herbam *Menthæ* adhibitam novimus; infantum ventrem torminibus laborantem oleo *Menthæ* cocto commode inungunt obstetrices, & in quavis eorundem *Colica* quotidiano usu invaluit *Aqua Menthæ* destillata. Nec nervis solum *Mentha* prodest, fibras etiam, quæ, nisi a nervis animatae, vi sua elastica privantur, intendit. Ubi enim nervi laborant & fibræ proinde in intestinis debilitatæ sunt, eos superant

ſæ-

(*) Non raro vilioris sortis *Puerperæ*, quæ minorem corporis curam habent, in febribus, *Lochiis suppressis*, *Delirio* vel *Petechiis* spurciis laborant; etenim terrore, somniis, acidis ingestis, frigidiori aura subitus suscepta cessant *Lochia*, & inde mala bœc omnia. Hoc in casu minime spernendus est *Menthæ* usus, non tantum pro fomentatione totius abdominis, sed etiam interne pro Infuso & Enematibus; adeo ut plures hujus generis mulieres solo hujus remedii usu sanatas non ignoremus.)

Sæpe inearcerati flatus, intestina distendunt & tormenta excitant. Medentur hisce malis Medicamina sic dieta *Carminativa*, utpote *Fragrantia*, quorum in ordine primum facile sibi locum *Mentha* deposit, ita ut vix uila planta ob ruetatrixem vim Hystericis adameatur magis, magisque *Tormina*, convulsiones interdum producentia, mitiget. Nec nuper hoc innotuisse, versus *Martialis* innuit.

*Nec deest ruetatrix *Mentha*.*

§. VIII.

Altera *Menthæ* vis in eo sita est, quod humores extenuet, & *Antaphrodisiaca* sit. Qua ratione vitales vires liquidam quidam perpetuo tenuemque reddant sanguinis massam, dictu neutiquam facile est; id vero earum ope fieri constat. Sanguis enim in cadavere coagulatur; & calori solum vel frigori corporis hoc non deberi, vel inde patet, quod infantes senibus multo calidiores, non tamen spissos magis habeant humores. A multis retro temporibus notissimum est Mentham solvere & extenuare corporis humani fluidas partes, ipsumque *Lac* ea impediri, ne concrescat.

Observant quotannis rusticæ mulieres, multo minorem casei copiam præbere *Lac*, dum, messe peracta, agris, ubi *Mentha arvensis* ut plurimum luxuriat, pastum imitantur pecora; sed vero caussæ ignaræ fascinatum esse lac autumant. Hinc *Mentha* a nutricibus adhibita & oleum *Menthæ* destillatum ablactantium axillis inundum, affluxum & copiam lactis tollit. Medicis ad prime inservit hæc *Mentha* solvendi vis. *Mammarum Bubones* subnascuntur facile puerperis & nutricibus a minimo quovis errore: a cibo, a potu vel cerevisia acida ab acido quounque in primis viis, a terrore quovis aut vehementiori animi motu, lac concrescit, mammæ inflammantur; hinc suppuratio, Fistulæ, Schirrus,

Car-

Carcinoma. Hujus mali initiiis *Mentha paratissima* est Medicina. Hac vino cocta mammæ foventur iteratis saepius vicibus, & propinatur Eleosaccharum ex *oleo Menthæ destillato*, cum *vehiculo ex aqua Menthæ destillata*. Aoud Nutrices l. matres lactantes facile acidum geruntur, nisi cibo potuque acido & Spiritu Vini abstineant, iram & dolorem fugiant, motum corporis, cui adfleverunt, non negligant. Hinc lac acescens invente infantum nimis coagulatur, ut imbecilliora eorum intestina id ipsum solvere & in sanguinem vertere nequeant. Hinc tormina, ejulatus, pallores, excrementa viridia, & convulsiones. In his malis ex herba *Menthæ* vino cocta fomentum Abdomini paretur, aqua *Menthæ* destillata propinetur, abdomen oleo cocto *Menthæ* inungitur, Nutrici porrigitur infusum *Menthæ*, Syrupus, Conserva, Tinctura, vel *Mentha* quocunque modo parata. Solvit *Mentha* etiam pellitque sanguinem, ut sit inter optima Emmenagoga in *Menstruis suppressis*. Exemplo sunt Hystericæ, quæ *Menthæ* Spiritu, mali sui medicina, diu usæ, copiosam ita patiuntur tandem menstruam purgationem, ut facile Hæmorrhagiam uteri incurant & hinc ab usu ejus absistere coguntur. Unde subnata medicis, in Menstruis suppressis ex Eleosaccharo & *Menthæ* Spiritu medicinam parandi occasio.

§. IX.

Solvit usus *Menthæ* internus humores, adeoque debilorem reddit ipsam genitaram, quæ quo consistentior eo magis fœcunda & fervida est; venere abutentibus contra debilior & minus efficax. Eorum, quæ sterilitatem producunt, vix ullum medicamentum efficacius est *Mentha*, hoc effectu notissima ab antiquissimis retro temporibus. Unde Aristoteles, *Mentham tempore belli nec ferito, nec edito*. Ipsa namque libido vigorem addit animumque; Ejus vero defectus effeminatos reddit, &

animo corporeque debiles. Est Hysterica Passio frequentissima apud viduas, quarum lympha genitalis jam non satis secernitur, unde humor circa uterum, ovarium, tubas stagnans, acrior fit & corrosivus, uti ex Boneti *Sepulcreto Anatomico*, & millenis aliis exemplis constat, & inde horrendi illi spasmi & cetera dira symptomata illis preferenda. Intuitu caussæ igitur ab *Hypochondriasi* magis distat hysterica passio, quam recentiores facile agnoscunt Medici, & quotidie videre licet viduas hystericas a novis nuptiis convalescentes. Inter medicamenta autem antihysterica ita usu *Mentha vulgaris* est, ut vix ullus sit medicus, qui eandem non prescribat, & forte pari ratione, ac supra §. VIII. in affluxu lactis ad ubera vidimus, sanguinem solvendo & ut Emenagogon heic agit *Mentha*.

§. IV.

Quum *Mentha*, ut dictum est, humores reddat tenuiores & fluidos magis, viscidum etiam, tot malorum Lærnam, solvat pellatque, necesse est. Medetur igitur *Leucorrhææ* & *Asthmati*, quibus tollendis infusum *Menthæ* cum aqua propinari solet. In *Tussi convulsiva* & *Tyrum* & succum *Menthæ* cochlearis dosi, commendat *Boijle* in specificis. Ex humoribus ad tracheam lentis tardisque *Raucedo* oritur, cui Medicina est *Decoctum Pulegii edulcoratum* ad unicas binas cum cubitum eatur, *Chefn*. Ex spisso nimis aurum sero dum *Surditas* evenit, hic & egregius plane *Menthæ* usus est. *Marlovius*, felicissimus ille Londinensium Medicus, qui tot arcana & specifica noverat, efficacem ut maxime surditati medicinam parare solebat. Latuerant diu, qua utebatur planta, nec nisi ejus *Speciebus* terræ mandatis & nil nisi *Mentham* producentibus, innotuit, vide *Dalei Pharmacologiam*. Conjectu equidem difficile est, unde hoc hauserit *Marlovius*; a fide tamen parum abest,

est, debuisse illum hanc medendi rationem *Hermann*, qui, quo in Zeylonainsula degerat, diuturno tempore, ab incolis duplicem contra surditatem medicinam didicerat, usum scilicet *Hedyotidis Auriculariae & Menthæ Auriculariae*, quarumque haec, ipso fatente *Hermann*, alteri multo erat præstantior.




Quem nuper citaveram, Daleus refert etiam, Londonensem quendam Agyrtam arcanaum contra *calculum* venditasse, cuius semina a *Wattsonio* seminante, Mentham produxerunt. Hinc nata aliis in Lithiasi Menthæ adhibendæ ansa. Evidem videt facile quilibet, Mentham haud *calculum* solvere posse, hic vero cum semper accrescat ex viscido calculo circumfuso, hoc solvendo *Mentha* incrementum calculi impedit.

Vulnera quælibet sanandi ad naturam ulceris reduci debent, ut ipsum pus chyli seu lactis germinantes fibras nutrituri indolem obtineat. Hoc ipsum si tenuenimis & acrius sit, serius carne repletur *vulnus*. Abstineant igitur a *Mentha* graviter vulnerati, quum vulneris sanationem prohibeat.

Quum nimio muco interne obductum fuerit *Ventriculus*, oboritur *Anorexia*; paratissima huic medicina est essentia Menthæ cum proprio Spiritu, addito faccharo, parata. Quin & haec ipsa medicina in *Lienteria* summis encomiis commendatur a *Boerhavio*, ut taceam *Epithemata e Mentha quotidie in Vomitū adhiberi*.

Hinc ut opinor egregius plane Menthæ usus patet in *Hysteria*, *Colica*, *Menorrhagia*, *Bubonibus Mammorum*, *Leucorrhæa*, *Surditate*, *Calculo*, *Asthmate*, *Vomitu*, *Tussi convulsiva*, & quod humores solvat, lactis coagulationem impedit, *Emmenagogum* sit, *Stomachi-cum*, *Ructans*, *Antaphrodisiacum* *Vulneratis noxiūm*, & *Somnum arcens*.

TANTUM



CLARISSIMO AUCTORI,
AMICO ET POPULARI HONORATISSIMO.

*Ingratus merito vel potius improbus, Amice Hon
oratissime, videri possem, si quum Tibi Principi
pueriles meos in literis progressus acceptum retu
lerim, nullo tuum in me studium celebrarem modo,
aut certe conarer. Ita enim me tibi devinxit sua
vitas sermonis & consuetudinis Tuæ, fides & sin
ceritas, mores ceteri, præcepta curaque satis quam
credibilis meliorem me eruditioremque reddendi, octo
annorum tempore, quum ex ore Iuo pependi; nihil
ut magis cupiam, quam tibi declarare posse, quan
ti apud me sis. Quum vero hoc a me nunc fieri ne
queat, vides, Amice Suavissime, quid de me sentire
debeas, & quomodo nihil apud me sit, quod Tibi
placere possit, præter animum meum. Respice ani
mum meum, & certum habe, prius me mortalem
fuisse desinere, quam in Te gratum. Et hoc præcipue
bac occasione testatum volui, dum eruditionis tuæ,
cui ego certis auspiciis concreditus fui, specimen po
nis, & de quo etiam Tibi congratulari volo. Et
quemadmodum nihil mihi est optabilius, quam abs
Te quam maxime amari; ita, quo posthac etiam
me redames, nullo ego tempore non te amabo, & ef
ficiam ut id intelligere possis. In primis pro peren
ni tua felicitate vota quotidiana nuncupabo.*

NICOLAUS AURIVILLIUS.